



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Institutiones Theologicae Ad Usum Seminariorum

Simonnet, Edmond

Venetiis, 1731

Resp. 4. Angeli moveri possunt localiter.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83594](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83594)

ensionem formalem haberent, multò magis haberent finitam & limitatam. Ergo Angelos esse in loco ambigi non potest.

Hanc doctrinam tradunt Patres, ut Theodor. q. 3. in Genesim, ubi sic ait: *Certum est Angelos determinate esse substantie. Quod si verum est istud, sicuti profecto est, loco utique opus habebunt.* Et Damascenus lib. 2. orth. fid. c. 3. ubi de Angelis sic loquitur: *Atque circumscripti quidem illi sunt (hoc est, limitatam habentes extensionem virtuales,) nec enim in terra versantur, cum in celo sunt: nec, cum à Deo ad terram mittuntur, in celo remanent.*

RESPONSIO II.

Angeli non sunt in loco circumscriptivè, sed definitivè.

Ad prob. nota. Duplex est modus existendi in loco, circumscriptivè scilicet, & definitivè. Illud dicitur esse in loco circumscriptivè, quod habet extensionem formalem, & cujus proinde diversità partes diversis partibus loci correspondent: hoc modo omnia & sola corpora sunt in loco. Illud dicitur esse & est in loco definitivè tantum, quod ita finitum spatium occupat, ut extra illud nec sit, nec esse possit naturaliter; & quia non habet extensionem formalem, sed virtuales tantum, non habet partes distinctas, extra se invicem positas, quibus distinctis partibus spatii correspondeat: unde dicitur esse totum in toto spatio, & totum in qualibet parte spatii; totum quidem in toto spatio, quia extra spatium, quod occupat, nullibi est; totum verò in qualibet parte spatii, quia per simplicem entitatem, adeoque virtualiter tantum extensionem, omnibus & singulis partibus spatii correspondet per intimam præsentiam seu indistantiam. Hoc modo omnes & solæ incorporeæ creaturæ sunt in loco saltem naturaliter. Hinc

Prob. Resp. Creaturæ incorporeæ sunt in loco definitivè tantum. Atqui Angeli sunt incorporei. Ergo, &c. Hanc doctrinam tradit Damascenus, cum ait loco proximè citato: *Cæterum nec manibus, nec portis, nec repagulis, nec sigillis circumscribuntur (ad modum corporum,) non enim terminis ullis includuntur (sicut corpora) ... nam alioqui id solum natura ac proprie termino caret, quod minime creatum est. Omnis enim condita res à Conditoris Deo terminatur, (accipiendi scilicet ab eo determinatam extensionem, sive formalem, sive virtuales tantum) ... Jam verò cum mentes sint, in ejusmodi quoque locis sunt, que mente ac ratione intelliguntur: non quod corporea modo circumscribantur: neque enim corporeo modo, quantum ad naturam attinet, figurantur, nec tribus dimensionibus constant: verum quia ubi imperatum fuerit, illic spiritualiter adsunt atque operantur, non eodem tempore hic atque illic esse atque operari possunt.*

RESPONSIO III.

Plures Angeli possunt esse in eodem loco naturaliter.

Prob. Nam illa tantum naturaliter sese excludunt ab eodem loco, quæ habent extensionem formalem impenetrabilem, ut duo corporea. Unde anima naturaliter est in eodem loco cum corpore. Atqui Angeli non habent extensionem formalem, & multò minus impenetrabilem habent, cum sint spiritus. Ergo, &c.

Quæres. Per quid Angelus determinetur ad hoc, ut sit in hoc loco potius, quam in alio. *R. breviter,* determinari quasi efficienter per potentiam motricem, formaliter verò per substantiam suam ut indistantem; non autem sive per modum ubicationis supervenientem, quia hic modus superfluus est; & sufficit indistantia substantiæ; sive per operationem, quia prius est Angelum huic loco per substantiam suam præsentem esse, quam in eo operari posse.

RESPONSIO IV.

Angeli moveri possunt localiter.

Prob. 1. ex Script. Nam Luc. c. I. dicitur: *Missus est Angelus Gabriel à Deo ... ad Virginem ... Et in-*

gressus Angelus ad eam, dixit ... & discessit ab illa Angelus. Quæ verba in propria significatione accipi debent, cum nulla sit ratio ea aliter accipiendi. Unde assertio nostra est de fide. Nec dic verba illa tam improprie accipienda esse, quam illud, quod in symbolis dicitur de Verbo, seu de Filio: *Qui descendit de cælis, & incarnatus est,* accipiendum est. Nam disparitas est, quia cum Verbum sit Deus, habet extensionem virtuales interminatam, & vi immensitatis suæ ubique locorum est: quod autem est ubique, moveri non potest localiter. Unde cum descendere de cælo dicitur de Verbo, non nisi improprie dici manifestum est, ad significandum scilicet novum quendam in terra existendi modum.

Prob. 2. Ex Patribus, Ambrosio scilicet lib. I. de Spir. S. c. 10. ubi sic ait: *Seraphim de loco in locum transit: non enim complet omnia ... Seraphim descendit cum aliquo secundum naturam suam transitu.* Gregorio Naziaz. orat. 2. de Theologia sub finem, ubi hæc habet: *Hi (Angeli) divina voluntatis ministri sunt ... loca omnia peragrunt, &c.* Damasceno verbis supra laudatis; & Chrysostomo hom. 3. in Epist. ad Hebræos, ubi sic ait de Angelis: *Hi verò & loca mutant, & prioribus relictis, in quibus sunt, ita ad alia pergunt, in quibus non erant.*

Prob. 3. ratione. Quia quod non est ubique, sed est in loco determinato, locum mutare, seu de loco in locum transire, quod est moveri localiter, nil repugnat. Atqui Angeli non sunt ubique, sed in loco determinato. Ergo, &c.

Obj. S. Bernardum serm. 5. in Cantica, ubi sic loquitur: *Non est discurrere, nec de loco ad locum transire, nisi corporum, quod frequenter Angelos facere tam indubitata quam nota probat auctoritas, Scripturæ scilicet. R. S. Doctorem* assertionem nostram probare, cum ait, notum & indubitatum esse ex Scriptura, quod Angeli de loco ad locum transeant. Ad id quod dicit proprium esse corporum transire de loco ad locum, unde concludit Angelos habere corpora, quia de loco ad locum transeant, *R. dist.* Proprium est corporum transire de loco ad locum per contactum quantitativum, seu successivè contingendo commensurabiliter distinctas partes spatii interjacentis, C. Transire de loco ad locum quovis modo, N. Unde N. conclusionem S. Doctores.

Itaque Angeli non possunt quidem transire de loco ad locum per contactum quantitativum, quia non habent extensionem formalem, adeoque non habent partes extra partes, quibus possint successivè correspondere & commensurari distinctis partibus spatii. At possunt v. g. de loco sibi adæquato ad alium locum sibi adæquatum & contiguum transire motu continuo: possunt enim continuè, seu absque ulla per quietem interruptione, spatium sibi adæquatum, quod occupant, per partes deferere, eadem proportione spatii contigui partes occupando; vel, si vis, possunt, nulla interposita morula, prius minorem spatii, quod occupant, partem, quam majorem, relinquere, eadem proportione prius minorem spatii contigui partem, quam majorem, acquirendo, ad quod aliquid temporis requiritur.

Possunt igitur Angeli in tempore motu continuo de loco sibi adæquato ad alium locum sibi adæquatum & contiguum transire: imò de uno ad alium transire possunt in instanti: cum enim Angelus totus sit in singulis partibus loci, quem occupat, totus est in contactu hujus loci cum alio contiguo: unde nihil vetat, quominus in eodem puncto unum deferat totaliter, & alterum totaliter acquirat.

Hinc Angelus de loco, quem occupat, transire potest ad alium locum distitum, non solum motu continuo, quod difficultatem non habet, sed etiam motu discreto: potest enim in instanti totum locum, quem occupat, deferere, & totum contiguum acquirere; deinde interposita morula, in instanti relinquere totum hunc secundum locum, & simili acquirere totum tertium contiguum, atque ita deinceps.

Dixi, interposita morula: nam alioquin Angelus posset

posset in eodem puncto esse ubique, quod est fallum & absurdum: quamquam ita sentit Tertullianus in apologetico cap. 22. *Omnis, inquit, spiritus ales est. Hoc Angeli & demones. Igitur momento ubique sunt. Totus orbis illis locus unus est. Quid ubique geratur tam facile sciunt, quam enunciant. Velocitas, divinitas creditur; quia substantia ignoratur. Nisi tamen cum exaggeratione loqui dicatur, ad exprimentam incredibilem Angelorum velocitatem, quam sic exprimit Gregorius Nazianz. orat. 2. de Theol. Omnibus ubique impigri adsunt ... natura levitate.*

RESPONSIO V.

Angeli durant, formaliter per suam substantiam, efficienter verò per omnipotentiam divinam.

Prob. 1. pars. Illud durat, quod permanet in esse. Sed Angeli permanent in esse. Ergo, &c. *Prob. 2. pars.* Per id Angeli formaliter durant, per quod formaliter permanent in esse. Sed per suam substantiam formaliter permanent in esse, sicut per suam substantiam formaliter sunt. Ergo, &c. *Prob. 3. pars.* Per illud Angeli durant efficienter, à quo in esse conservantur. Sed conservantur in esse ab omnipotentia divina. Ergo, &c. Sed

Nota. Duratio triplex distinguitur, aeternitas scilicet, aevum, & tempus. Aeternitas est duratio rei simplicis, carentis principio & fine. Aevum est duratio rei simplicis, habentis principium, sed carentis fine. Tempus est duratio rei habentis partes, principium, & finem. Tempus subdividitur in permanentem & successivum. Tempus permanentem est duratio rei habentis principium, finem, & omnes partes simul. Tempus successivum est duratio rei habentis principium, finem, & suas partes successivè tantum. Hinc duratio Dei est aeternitas, duratio Angeli aevum, duratio hominis tempus permanentem, duratio cuiuscumque motus localis tempus successivum. Tempus tamen simpliciter dicitur duratio illa successiva, quae ab hominibus ad mensurandas alias durationes, easque inter se comparandas assumpta est, & extrinsecè divisa in varias partes, in horas, dies, menses, annos, &c.

DISPUTATIO II.

De cognitione, locutione, & volitione Angelorum.

ARTICULUS I.

Utrum Angeli cognoscant secreta cordium.

RESPONSIO.

Angeli non possunt naturaliter certò cognoscere secreta cordium, hoc est, actus liberos alterius, sive hominis, sive Angeli, sine eius consensu. Est de fide, vel saltem proxima fidei.

Prob. 1. Illud non competit naturaliter Angelis, quod soli Deo attribuunt sacra Scriptura. Atqui certò cognoscere secreta cordium, soli Deo attribuunt sacra Scriptura. Ergo, &c. Major patet: quod enim soli Deo attribuitur, vel frigidè & falsò sic attribuitur, vel nullatenus potest, aut saltem naturaliter non potest competere ulli creaturae.

Prob. ergo min. Nam dicitur lib. 3. Reg. cap. 8. *Tu nosti solus cor omnium filiorum hominum.* Quod iidem verbis repetitur lib. 2. Paralipp. cap. 6. Lib. 1. Paralipp. cap. 28. *Omnia corda scrutatur Dominus, & universas mentium cogitationes intelligit.* Psal. 43. *Nonne Dominus requirit ista? ipse enim novit abscondita cordis.* Jer. cap. 17. *Pravum est cor omnium, & inscrutabile: quis cognoscet illud? Ego Dominus scrutans cor, & probans renes.* Et Hebr. cap. 4. *Virus est sermo Dei, & efficax ... discretor cogitationum & intentionum cordis: & non est ulla creatura invisibilis in conspectu eius: omnia autem nuda & aperta sunt oculis eius.*

Scripturis suffragantur Patres, ut Origenes hom. 7. in Genesim: *Deo soli, inquit, cognitum est propositum.* Simeon Theol. Tom. 1.

rum mentis. S. Hieronymus in verba Jeremiae à nobis laudata: *Melius est, inquit, ut simpliciter accipiamus, quòd nullus cognitionum secreta cognoscat, nisi solus Deus.* Et inferius: *Per quae discimus, solum Deum nosse cogitationes eorum.* S. Chryostomus hom. 24. in Joan. *Humanorum, inquit, cordium cognitio solius Dei est, qui ea formavit.* S. Augustinus serm. 6. de diversis: *Cogitationes, inquit, quas modo non videt nisi Deus, omnes invicem videbunt in illa societate sanctorum ... Cor videre Dei est.* S. Cyrillus Alex. lib. 2. in Joan. cap. 1. de Nathanaele loquens, sic ait: *Norat probè Deum scrutatorem esse cordium, nec ulli alteri mentem hominis patere, illud, opinor, Psalmista animo revolvens: Scrutans corda & renes Deus.*

Prob. 2. Illud saltem naturaliter competere non potest Angelis, quod invictissimum est divinitatis argumentum. Atqui certò cognoscere secreta cordium, est invictissimum divinitatis argumentum. Ergo, &c. Major patet. *Prob. min.* Illud est invictissimum divinitatis argumentum, quo Christus demonstravit se esse Deum. Sed Christus ostendendo se certò cognoscere secreta cordium, demonstravit se esse Deum. Ergo, &c.

Prob. min. ex Patribus. Nam sic loquitur S. Ambrosius lib. 5. in Luc. *Dominus salvos volens facere peccatores, occultorum cognitione Deum se esse demonstrat.* Et S. Hieronymus loco supra laudato: *Si de Salvatore dicitur: Videns autem cogitationes eorum Jesus, nullusque potest videre cogitationes eorum, nisi solus Deus: ergo Christus Deus est, qui scrutatur corda, & probat renes.* Et S. Cyrillus Alex. loco item supra laudato: *Quenam igitur est illa ratio, quae ad fidem (divinitatis Christi) adducit? Cognitio Deo conveniens. Omnia enim nosse uni Deo convenit. Excipit ergo (Jesus) Nathanaelem, non assentatiunculis cum sibi concilians, sed expositis iis quorum conscius erat, hominum corda quae Deus est se nosse confirmans.* Et S. Petrus Chrysologus serm. 50. *Cape ejus divinitatis insignia: audi eum pectoris tui penetrasse secretum; aspice eum ad cogitationum tuarum latebras pervenisse: intellige eum cordis tui tacita nudare consilia.* S. denique Fulgentius lib. 2. ad Transmundum cap. 16. *Filius igitur ubique praesens est, idem omnes audit & videt, & maiestatis suae plenitudine in abdita quoque & occulta penetrat, nec clamoribus admonendus est, qui cogitationes videt; adeoque verè Deus est.*

Prob. 3. ratione: quia dignitati & excellentiae naturae intellectualis cujuslibet connaturaliter debetur perfectum in actus liberos dominium, vi cuius de illis perfectè possit disponere, non solum quantum ad eorum productionem, vel permanentiam in esse, sed etiam quantum ad eorum manifestationem, ita ut non nisi ea consentiente, alteri naturae rationali patere possint. Ergo necessarius ad certam actuum ejus liberos notitiam concursus non nisi ea consentiente connaturaliter à Deo exhiberi potest alteri naturae intellectuali. Ergo actus ejus liberi, ea non consentiente, ab altera natura intellectuali cognosci non possunt, nisi dependenter à concursu supernaturali, vel saltem praeternaturali. Atqui quod non potest alter cognosci, non potest cognosci naturaliter, ut patet ex terminis. Ergo, &c.

Confirm. Ex S. Thoma hic q. 57. a. 4. in o. ubi sic ait: *Solus Deus cognoscit cogitationes cordium, & affectiones voluntatum cognoscere potest. Cujus ratio est, quia voluntas rationalis creatura soli Deo subjacet, & ipse solus in eam operari potest.* Ex quibus verbis sic argumentor. Dominium quod habet creatura rationalis in actus suos liberos, subordinatur dominio Dei, qui est supremus rerum omnium Dominus. Ergo creatura rationalis jus non habet, ut actus ejus liberi non innotescant Deo ut sunt in se, nisi ea consentiente. E contra dominium quod habet creatura rationalis in actus suos liberos, non subordinatur dominio alterius creaturae rationalis. Ergo jus habet, ut actus ejus liberi alteri creaturae rationali non innotescant ut sunt

X in se, .